

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Nachträge und Berichtigungen zu Bd. 1 - 3. Register zu Bd. 2, 3 und 4,1

Schulte, Aloys

Straßburg, 1898

1289

[urn:nbn:de:bsz:31-326727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326727)

interdicti vero sunt omnes in civitate et nec apud vos nec alibi poterunt audire divina, nisi super hoc licenciati sint vel privilegium habeant speciale. licenciam quidam habuerunt, ut dicitur, a venerabili domino legato, sed omnes revocavit, sicut in autenticis^a litteris suis vidi. ego etiam ex compassione paucis amicissimis nostris et vestris inveni formam, per quam aliquando apud vos divinis possent officiis interesse, quibusdam ex privilegio papali et procuratorio nomine,^b quibusdam ex ipsius legati nobis concessa indulgentia singulari. verum quia, quod provisum fuit ad concordiam, cepit tendere ad noxam ita, ut multi sub quocunque colore ecclesias vestras intrarent, perciperent sacramenta, utinam non deciperentur sacramentis! nam quidam ea juste, quidam temere presumpserunt, alie cum essent conjugate et cotidie excommunicatis couterentur, ecclesiarum vestrarum^c limina calcaverunt. unde plurimi scandalizati sunt ita, ut quibusdam admissis, aliis non admissis iudicio, pro quo iudicabuntur, dicerent, quod ad hoc faciendum nos alliceret^d turpe lucrum. insuper ingratitude nobis vicium affixerunt dicentes, quod illos excluderemus, qui nobis indeclinabiliter adhererunt, alios admitteremus, qui se parum nostris necessitatibus impenderunt. religiosi quidam preterea, cum arguuntur, quare latam in civitatem propter predicta sententiam non observent, replicant, quod per nostras sorores principaliter violetur. ipse, inquit, excommunicatos admittunt, cum recipitur puella, cum fiunt exequie, in locutione cum illis sunt assidue, familiam tenent excommunicatam, que audivit divina a sacerdotibus profanatis; conversi earum et familiares stant in ecclesiis et concurrunt^e cum plebe, ut elevari videant corpus Christi. quid plura? ego hiis dispendiis, prout possum, cupiens obviare, ne occasione dampni dampnum videar intulisse, hoc ago, quod saluti vestre et paci ceterorum iudicavero verisimiliter convenire. omnem igitur hominem excludetis obicibus et clavibus, quando in ecclesia vestra cappellanus proprius voce submissa dicet missam, nec rima neque foramen ad videndum in hostiis aut parietibus relinquatur. missas autem dicent in festis simplicibus semiduplicibus duplicibus et totidubus et aliquando pro memoriis defunctorum. et licet secundum jus semel saltem in pascha omnis Christianus percipere debeat eucharistie sacramentum, vobis tamen aliquid duxi amplius concedendum, ut videlicet in nativitate domini communicetis et in pascha et adhuc una vice in aliquo festo, cum priorisse magis dispositas viderint esse sorores, accipientes ex hoc argumentum, si sorores ante vixerunt pacifice quiete pariter et devote, proviso quod, que in excommunicationem inciderunt loquendo, mandando excommunicatis, quod ad rem non pertinet, non communicent nisi primitus absolute. quam absolucionem committo in casibus levibus vestris propriis cappellanis; in gravioribus autem, utpote si amicis suis consilium impendunt et auxilium aut favorem manifestum, non debent cappellani absolvere nisi presente priorissa sua cum hiis, quas advocare voluerit, de parendo mandato, sicut fas est, prestita cautione. cappellanos tales habebitis, sicut permittit privilegium, videlicet qui sint providi et discreti. ipsi vobis in necessitate exhibebunt ecclesiastica sacramenta, hoc est in in-

Doc. 25

a) Ueberschrieben über das durchstrichene ex suis patentibus. b) Unten am Rande des Blattes nachgetragen. c) Unten am Rand des Blattes nachgetragen für das durchstrichene vestra sancta. d) Durchstrichen induceret. e) Ueberschrieben non suis.

firmitate superveniente, in festis eciam, sicut superius est notatum. addo, quod vices ipsorum ad premissa supplere poterunt alii cappellani, et hoc ex permissione. religiosi vero quicumque et clerici non dicent in ecclesiis vestris missas, etiamsi fateantur se gaudere privilegio quod hoc possint. nam vos restringo, ne hoc sinatis fieri, nec ipsis calix prebeat nec officio congrua indumenta, conversi vestri et semifratres, qui tam se quam sua devote et totaliter ordini obtulerunt, admitti poterunt ad divina, raro tamen, proviso quod cum ipsis alii nullatenus admittantur, nec ipsi in quocunque alio loco cujuscunque ordinis preterquam in vestris claustris^a divinis poterunt interesse. de hiis autem, qui sunt in obsequiis vestris pro mercede annua conducti, si non audiverunt divina alibi presertim in civitate, quia tunc essent excommunicati, ordinent priorisse de sororum discretarum consilio, sicut judicaverint expedire. cum voluerint eedem priorisse, ingredi poterunt ecclesiam, quando noluerint, excludantur. hoc intelligite de illis servitoribus, qui sunt in curia juxta claustrum. reliqui qui de grandis veniunt, sint exclusi. de confessione quedam perplexitas est, sed non nocebit vobis, si non confitemini, quando per cives prohibemini confiteri hiis, qui sunt veri vestri ex ordine confessores. alias^b enim confiteri talibus, qui non habent potestatem absolvendi vos, etiamsi essent ordinis nostri fratres, nisi prius^c fuissent claustris pro confessoribus deputati vel a me licenciati, nihil valet. unde et graviter puniendos censui quosdam, qui ad hoc claustra vestra occulte vel clandestine non sine gravi scandalo et proprio periculo sunt ingressi. nec turbentur sorores ex hoc, quod in confessionibus habere non possunt solitam libertatem, nam patres nostri, sicut propheta testatur,¹ in captivitate positi dicebant: non est in tempore hoc princeps et propheta et dux neque sacrificium. princeps videlicet quo tueamur, sacerdos quo purificemur, propheta quo informemur, dux quem imitemur neque sacrificium sacra communio que animas reficit famescentes. nichilominus tamen subjungitur remedium, quod vicem suppleat omnium premissorum. in anima, inquit,^d contrita et humilitatis spiritu suscipiamur a te, sicut in milibus agnorum pinguum. quid illi deest, qui a domino suscipitur, qui suscipit servos suos in bonum? o bonum omnis boni bonum! quis mihi det acquiescere in te, ut obliviscar aliquando mala mea? consolatur nos gloriosus pater Augustinus in libro de vera religione dicens:² sepe sinit divina providentia per nimium turbulenta carnalium hominum seditiones expelli de Christiana congregatione^e etiam bonos viros. quam contumeliam et injuriam cum patientissime pro ecclesie pace tulerint nec ullas novitates heresis vel scismatis moliti fuerint, docebunt homines, quam vero affectu et sinceritate caritatis deo serviendum sit. hos coronat in occulto pater in occulto videns. de sepulturis constet vobis, quod non potestis aliquem sepelire nisi sororem in silencio, sed nec sorores possetis sepelire, si non bene servassent interdictum. de conversis idem dico et familiaribus similiter,

a) Ueberschrieben oratoriis. b) Folgt eciam getilgt. c) B rep. prius. d) Folgt durchstrichen propheta. e) Ueberschrieben für durchstrichenes religione.

¹ Daniel III, 38—40.

² Vergl. Migne Patrologia tom. XXXIV, 128.

quod tumultentur in silencio, si bene servaverunt interdictum. familiares autem tales intelligite, qui se et sua monasterio contulerunt, sicut superius est premissum. scio quod hoc grave est, sed docente spiritu veritatis sentitis, quod cum ordine et pro ordine, que nomen ab ordine et meritum accepistis, pati quecunque incommoda debeatis. nam sine ordine nec missas aut sepulturam vel privilegia forsitan haberetis. abstinendo autem a vetitis vobis non ordini servitis, nam secundum jus scriptum, in quocunque statu inveniremini, obligaremini ad premissa. sunt apud vos, ut dicitur, quidam religiosi vestram quietem turbantes, pedem movere diligentes, fenestras occupantes, opus commune impediennes, nugis et risibus vacantes, oculos defigentes, de simplicitate vestra predam callide aucupantes. hos devitate, si debito cupitis persistere in honore. illos autem amplius, qui dicunt affirmant predicant contra factum legati in injuriam nostram, immo in contumeliam crucifixi, putantes venisse de nostris calamitatibus messem suam, tamquam excommunicatorum fautores devitate conscientiam et scientiam non habentes, precipue qui se ex talibus medicos profitentur. nam in quocunque claustrum talis medicus curans vulnera saucians corda ingressus fuerit, ipsum claustrum ab omni gratia premissa suspendo et contumaces privo eisdem, donec satisfactione premissa restitui mereatur. superius scriptum est, quod a divinis, que fiunt apud vos, omnes homines, qui non sunt juris vestri, excludatis, non obstante quod olim quibusdam personis nobis in Christo devotis litteras nostras dedi. has pro tanto fore volo consolatas, quia hujusmodi litteras non casso nec revoco, sed suspendo et effectum differo earundem propter pacem aliorum et propter vitandum offendiculum infirmorum. concludens igitur hoc statuo hoc repeto hoc inculco, quod, quecunque soror alicui religioso confessa fuerit vel ad ipsos intra claustrum vel cimiterium cellarium vel ortum sive locum quemlibet alium venerit, confessio ipsius erit irrita. et in hiis scriptis anathemati ipsam subicio necnon in morte dignis ordinis suffragiis eam privo. sacerdotes insuper vestros cautos esse volo ad districtam sententie observanciam interdicti, alioquin non sustinebuntur in vestra cappellania, nam irregulares fierent et ad Romanam curiam deberent necessario proficisci. datum Hagenowie.

B aus Berlin. Bibl. Ms. theol. lat. oct. nr. 109 fol. 159—161.

Gedruckt darnach bei Finke Dominikanerbriefe S. 128 nr. 108.

274. *Der Provinzial ersucht den Prior der Dominikaner zu Bern, den Ordensbruder Johannes, der die Straßburger Frauenklöster St. Marx und St. Katherina in unziemlicher Weise betreten habe, zu bestrafen. [1289 Frühjahr] Hagenau.*

Priori Bernensi provincialis de correctione fratris, qui intravit claustra sororum in Argentina. fratrem habetis apud vos Johannem nomine juvenem non sacerdotem, de quo intellexi, quod, cum ipse duceret quosdam fratres per Renum, seductus, ut dicitur, venit ad curiam sancti Marci, ubi, cum tutus satis esset, delicatum presidium ultro inquirens ingressus est claustrum sororum ibidem morancium cum tota sua temere comitiva. ibi sic effudit fialam suam, ut memoria ejus in benedictione non

sit usque hodie apud illas. vice altera iterum descendit per Renum deducendo fratrem Paulum et intravit curiam sancte Katerine, credens esse curiam sancti Marci, et reliquit dictum Paulum, ut dicitur, in navi solum in magnum ordinis scandalum et ruborem. expectans retributionem a domino, qui talem talibus conjunxerunt et honestati ordinis minus provide providerunt, de dicto igitur Johanne, si sic appellatur, in quocunque loco ipsum inveneritis, vobis committo, quatenus ipsum pro qualitate culparum asperius corrigatis prohibentes eum, qui male orditur principia, ad ultiores ordines promoveri et nunquam claustrum aliquod sororum visitet sine licencia provincialis. extunc ipsum ad aliquem conventum extremum provincie auctoritate presentium pro fratre domus mittatis juxta ordinationem capituli Augustensis, ubi illis hoc in ^a pena imponitur, qui notabiliter Argentinensi territorio appropinquant. quanto magis id observandum est in eis, qui claustris sororum se ingerunt juxta muros Argentinenses locatarum. quidquid inde feceritis, mihi rescribite, cum primum obtulerit se facultas. datum Hagenowie.

¹⁵ *B aus Berlin. Bibl. Ms. theol. lat. oct. nr. 109 fol. 161^e.
Regest darnach bei Finke Dominikanerbriege S. 131 nr. 109.*

²⁰ 275. *Der Provinzial der Dominikaner beauftragt die Subpriorin und die Schwestern Agnes von Hohenstein und Gertrud von Königshofen vom Straßburger St. Marckloster, die Untersuchung gegen zwei genaunte Mitschwestern zu führen. [1289 Frühjahr] Hagenau.*

Suppriorisse et sororibus Agneti de Hohenstein et Gerdrudi de Künengeshoven ad sanctum Marcum juxta Argentinam provincialis. quia statum vestrum emulor dei emulatione, semper vos Christo exhibere satago non habentes maculam nec rugam, sed in presenti ea, que vobis sunt necessaria, oportet litteris ordinari, qui corampositus nunc in virga nunc apparerem in spiritu lenitatis juxta quod vobis utile reputarem. verum ne inter multa, que ad me perveniunt, videar sicut homo non audiens et non habens in ore suo redargutiones, quedam inter vos judico corrigenda primum configens eas regularibus jaculis, que per superbiam luciferum imitantur et cum Datan et Abyron contradictionis spiritu replete terre yatibus absorbentur. audivi dissimulando dissimulavi audiendo, quod sorores Andriota. . de Hagenowia, Egninna de Winthertur preter alias sursum et deorsum insaniunt. . priorisse rebelles per superbiam, ceteris infeste per calumpniam, quibusdam impertune per maliciam, omnibus graves, nisi forte suis complicitibus per vesaniam comprobantur. cum igitur providere debeamus, ne modicum fermenti, quod heu jam nimis invaluit, totam massam corrumpat, discretioni vestre committo et districte mando presencium per tenorem, quatenus rebelliones dictarum personarum et alias

a) *B rep. in.*

earum insolencias inquisitione plenarie facta mihi infra mensem prebitis de claustro sumptibus nuncio, quem mittetis ad me, fideliter referatis, quatenus de vultu dei iudicium prodeat, quod quieti monastice proficiat, et terram sanctam in qua statis huiusmodi abhominatio non depravet^a, quodsi omnes hiis exequendis propter debilitatem forsitan corporis interesse non poteritis, due vestrum nichilominus exequantur precipientes, quod decreveritis vice mea, firmiter observari. datum Hagenowie. 5

B aus Berlin. Bibl. Ms. theol. lat. oct. nr. 109 fol. 162.

Gedruckt darnach teilweise bei Finke Dominikanerbriege S. 122 nr. 110.

276. *Der Provinzial beauftragt den Prior der Dominikaner zu Colmar, die beiden Ordensbrüder Erbo und Humbert wegen Betretens der Straßburger Frauenklöster zu bestrafen. [1289 Frühjahr] Hagenau.* 10

Priori Columbariensi provincialis de quorundam fratrum correctione, qui claustra sororum Argentinensium intraverunt. cum nuper essem in loco vestro, conveni fratrem Erbonem de eo, quod tantum civitati appropinquavit, ut claustrum sancte Agnetis ingrederetur. qui se de propinquitate excusavit litteram nostram ad suam interpretans voluntatem. quam casso et revoco, ne per eam mea simplicitas iterum deludatur. pro ipso autem allegat pietatis affectio, quia carnem suam odio habuit nemo unquam, ut propter hoc severitati aliquid detrahatur. unde juxta datam vobis a deo discretionem pro introitu claustrum satisfactionem imponite competentem, nisi forte, ut dicitur, civitatem ipsam ingressus fuerit matris domum visitans atque fratris. hanc si verum est mihi penitentiam reservetis. frater Humbertus, qui auctoritatem sibi usurpavit in fraudem simplicium feminarum audiendo confessiones, ingerendo confusiones, nam nulla fretus auctoritate venientes ad se involvit potius quam absolvit, est per vos acrius corrigendus. cui inter cetera injungatis, quod scribat conventui sororum predictarum, quod nullam absolvendi eas habuit legitimam potestatem; deinde ut, in quo deliquit, puniatur, ipsum restringatis a confessionibus audiendis et a terminis Basiliensibus visitandis, donec per me vel vicarium restitui mereatur. quicquid inde feceritis, mihi cum primum se facultas obtulerit, rescribatis. valete. datum in Hagenovia. 20

B aus Berlin. Bibl. Ms. theol. lat. oct. nr. 109 fol. 162^r.

Gedruckt darnach bei Finke Dominikanerbriege S. 132 nr. 111.

277. *Der Provinzial der Dominikaner tadelt die Priorin des Straßburger St. Margarethenklosters, daß sie die Minderbrüder eingelassen habe, und fordert Bericht darüber. [1289 Frühjahr] Hagenau.* 30

Arguit priorissam sancte Margarete juxta Argentinam provincialis, quod minores permisit intrare claustrum. intellexi pluribus mihi referentibus, quod passa est minores ingredi claustrum vestrum, qui si aliquam ut medici curaverunt, multos, e

^{a)} Ueberschrieben für durchstrichenes corruptat.

quorum numero ego sum. gravibus vulneribus conciderunt. an nescitis, quod ipsis non licet ingredi claustra monialium nec vobis fas fuit hominem admittere, etiamsi fuisset meritorum suffragio clare fame? ad hoc cum quidam religiosi persecutionis nostre tempore nimis in nostram grassentur injuriam ita, ut cum nostro discrimine comprobentur cum adversariis conspirasse. dignum fuit, ut potius talium solacio careretis, quam suspicionis nebulam amicis ordinis et occasionem murmuris preberetis. hoc igitur scandalum cupiens ab ordine removere, districte vobis injungo, quatenus infra mensem me de facto per litteras vestras et conventus debeatis reddere cerciorem, alioquin contra vos per censuram ordinis procedere non obmittam.

10 datum Hagenowie.

*B aus Berlin. Bibl. Ms. theol. lat. oct. nr. 103 fol. 162^v.
Gedruckt darnach bei Finke Dominikanerbriege S. 133 nr. 112.*

278. *Der Provinzial der Dominikaner teilt der Priorin des Straßburger St. Agnesklosters mit, daß er für die Schwestern desselben einen eignen Kaplan bestellen*
15 *werde. [1289 Frühjahr] Hagenau.*

Priorisse sancte Agnetis juxta Argentinam provincialis. quia inter ceteros conventus sororum vestrum affectu prosequor speciali, indignum esset, quod vobis subtraherem beneficia, que aliis indulgerem. quid autem pro pace sororum egerim, vobis cicius innotescet. de sacerdotibus hospitalis nec unum vobis possum concedere
20 neque duos, nam ipsi suo loco sunt, ut estimo, indivisibiliter obligati; vobis autem unus debet esse secundum privilegium, quem ego instituum et qui vobis solis deserviat providus et discretus; quem cum de sororum earum que sunt de consilio inveneritis, mihi cum sigillo conventus et vestro diligentius intimetis. expedit autem vobis
25 vel clericus secularis, nisi vices alicujus cappellani per claustrorum aliorum cappellanos quod dico secundum indulgenciam suppleantur. nec scio, quid debeat missa anathematizatis, nisi quod sibi manducent judicium atque bibant, que frequenti prevaricatione exitis de claustro ad libitum et reditis. credatis autem, quod non propono tales absolvere nisi prestita de parendo mandato ydonea cautione. unde super
30 hoc mihi rei geste scribite veritatem. valete. datum Hagenowie.

*B aus Berlin. Bibl. Ms. theol. lat. oct. nr. 109 fol. 163.
Erwähnt bei Finke Dominikanerbriege S. 133.*

279. *Der Ordensmeister der Dominikaner gestattet den Schwestern der Straßburger Frauenklöster seines Ordens einige Erleichterungen im Sakramentspenden*
35 *und Messehören. [1289 Frühjahr] Hagenau.*

Omnibus^a sororibus circa Argentinam, quomodo se habeant tempore turbationis. quia spero me illius caritatis esse consortem, que in cordibus diffusa fidelium cum

^a) *Voran stand jetzt vadiert magister ordinis.*

flentibus flere docet et gaudentibus congaudere, sine gravi dolore audire nequeo nec
 sentire, quod peccatis exigentibus sic calumpniis hominum obruimini sine causa, quod
 sub tranquillitate debita non permittimini vota reddere, que propriis labiis distinxistis.
 sed si apertis mentis oculis possetis agnoscere, quam vernantibus gemmis corone
 vestre tollerantie dorantur, qualia monilia vestris affiguntur pectoribus, quam pre-
 ciosa dextralia manus forcium ambiunt mulierum, inter odia cordium, probra lingua-
 rum, arma persecucionum, corde versaremini letiore propter eum, ^a cujus labor nobis
 scutum efficitur, cujus dolor omnibus per viam transeuntibus demonstratur, cujus
 honor ad mortem obedientis celestium et terrestrium flexione genuum cumulatur.
 porro in vestrarum tribulacionum aculeis hoc pungit acrius, hoc perturbat frequen-
 cius, hoc molestat importunius, quod, ut scripsistis, per confessionem puram non
 potestis in vobis placidam parare domino mansionem. sacre communionis panem
 parvulis petentibus nemo frangit, pro vobis et aliis consueta non permittitur ex hac
 luce migrantibus sepultura, missarum sollempnia, quorum suffragiis divina placetur
 indignatio, non auditis et, quod est periculosius, excommunicati se vobis ingerunt ¹⁵
 incessanter. de hiis mirarer et turbarer vehementius, si per litteras karissimi mihi
 in Christo provincialis vestri, quas dudum vobis misit, non essem aliter informatus,
 nam quarundam audacia concessa vobis gratie commoda breviauit. quapropter multis
 intermissis, que dici vel scribi lacius latitudo exigeret caritatis, habito cum spirituali
 patre vestro priore provinciali consilio, qui vestris, sicut in veritate comperi, oportuni-
 tatibus assidue impendere et superimpendere est paratus, vobis nichil horum, que
 jus concedit commune aut privilegium ordinis speciale, aufero vel auferri volo, sed
 omnia et singula vobis integra servabuntur. ad hoc illum articulum, qui magis vi-
 debatur aliquorum iudicio scrupulosus, videlicet quod cappellani vestri in necessitatis
 articulo vobis exhibent ^b ecclesiastica sacramenta, sic elargatum accipite, ut hec ²⁵
 necessitas non sit solum instantia mortis sed etiam persecutionis, per quam percussis
 pastoribus disperguntur oves gregis. interpretor ea libertate, qua privilegia principum
 largissime conceduntur. omnes igitur cappellanos, quos habetis vel habebitis, sive
 ordinis habitu induantur, sive incedant decenti habitu clericali, dummodo vite honeste sint
 et opinionis bone, equalem in singulis claustris singulos habere volo ^c potestatem in exhi-
 bendo vobis ecclesiastica sacramenta. iidem cappellani confessiones vestras audiant, sed vos
 . . . priorisse videritis, quando et quomodo rite fiat. sepeliatis vestras sorores in silencio, de
 aliis vero facite, quod jus permittit vel antiqua in civitate Argentinensi obtinuit consuetudo.
 misse vobis legantur, quociens vos . . . priorisse volueritis, jannis tamen clausis et
 exclusis excommunicatis et interdictis, salvo tamen ordinis privilegio, quod non ³⁵
 solum nobis sed etiam nostris procuratoribus ac nostris servitoribus est indultum,
 nam illi admitti poterunt ad divina, nisi interdicantur specialiter vel causam dede-
 rint interdicto. hec itaque describere volui, ut, si in aliquibus articulis vobis sub-
 ritur dubitatio, dictum provincialem vestrum requiratis et consulatis, qui vobis
 obscura declaret, angusta, prout secundum deum et justiciam facere poterit, ampli-
 ficet et excessus corrigat secundum datam sibi gratiam in vias planas aspera commu-
 40

a) Folgt durchstrichen qui, b) B exhiberet, c) Folgt durchstrichen in exhibitione.

tando. predicti etiam cappellani confessiones vestras audiant et vos communicent, ut traditur in constitutionibus, per fenestram,¹ donec fratres assecurati a civibus ad vos possint accedere, vel per dominum papam possim vobis gratiam aliquam optinere, ut cessantibus cappellanis in premissis fratrum officio gaudeatis. valet. datum
 5 Hagenowie et cetera.

*B aus Berlin Bibl Ms. theol. lat. oct. nr. 109 fol. 167^v—168^v.
 Gedruckt darnach bei Finke Dominikanerbrieife S. 138 nr. 120.*

280. *Der Provinzial der Dominikaner gestattet den Schwestern der Straßburger Frauenklöster die Communion im Chor statt durchs Fenster. [1289 Frühjahr] Hagenau.*

Omnibus . . priorissis et sororibus circa Argentinam provincialis et cetera. gratum deo et ordini obsequium impendistis, quando magistro ordinis illatas nobis a religiosis quibusdam injurias intimastis. re vera ego non credidi tot mala aliquibus irrogata, nisi essent martirio coronandi. unde vix poteram lacrimas continere et vos,
 15 que vestra^a scripta vidistis per singula, si omnia pariter in manibus teneretis, vestri jam doloris immemores plagas nostras lacrimis affluentibus lavaretis. heu me, filie karissime, quomodo sedet sola civitas olim plena populo, quem dominus exercituum benedixit. vita vestra velud a texente preciditur, convolvitur et aufertur a vobis
 20 quasi pastoris tabernaculum, quicquid erat remedii gaudii solacii sancte spei. porro cum ita repente plura non potueritis invenire, non nocet iterum fragmenta colligere et micras tollere, que de mensis nostrorum corruunt dominorum. ut reliquie non jam cogitationum, sed locutionum et operum festum agant, quale tunc fuit, cum articuli legerentur, ubi effata aures surdarum aspidum aperuit et os suum iniquitas opilavit. ceterum quod de communionem per fenestram positum est in littera magistri,² non
 25 vos molestet. nam licet de mandato ipsius cetera, prout vobis melius credidi expedire, ordinassem, tunc presens non aderam, quando illa additio scribebatur. sed placet mihi, quod in choro vestro communicetis a cappellanis vestris, qui juventur per conversos maturos, proviso quod ingrediantur et egrediantur sacris induti vestibus, quod decet sacerdotes; alioquin columbe gementes vestras revolabit ad fenestras.
 30 reliqua, si qua desunt, per vices supplere potero, prout videbitur oportunum. rogo autem humiliter et obnixè, quatenus ignoscatis, si exasperatus aliquando asperius vobis scribo. nam cor meum erga vos in cubili suo plenum est, ut spero. sancta karitate, que utiliora probat vulnera diligentis fraudulentis osculis blandientis. absolutionem et dispensationem largissimam magistri per certum nuncium mittam vobis,

35 a) Wohl verschrieben für nostra.

¹ Vergl. nr. 280.

² Vergl. nr. 279

quod hac vice non poteram facere plurimis occupatus. duo claustra non scripserunt et hoc ideo fortassis, quia nostras litteras non viderunt. valet et cetera. datum Hagenowie et cetera.

B aus Berlin. Bibl. Ms. theol. lat. oct. nr. 109 fol. 169. Ueberschrift des Stückes von gleicher Hand: Littera provincialis eisdem de eodem cum temperamento prioris littere. Gedruckt darnach bei Finke Dominikanerbriefe S. 140 nr. 121.

281. *Der Ordensmeister der Dominikaner berichtet dem Bischof von Straßburg den Ausgang der Verhandlungen in Worms mit der Straßburger Bürgerschaft und bittet ihn, den Ordensbrüdern die Erbauung eines Hauses in der Straßburger Diocese zu gestatten. [1289 nach April 16] Worms.*

Argentinensi episcopo.^a noverit vestra excellentia gratiosa, quod reverendus pater Wormaciensis episcopus meam exhortatus est efficaciter parvitatem, quatenus venirem Wormaciam et cum civibus Argentinensibus tractarem amicabiliter de concordia et de pace¹. qui venientes sicut a principio illicitos articulos petiverunt, sed ne obtinerent vel unum, ipsis more solito ore solido est responsum. unde superati rationibus in fine sic recesserunt a me tamquam deliberaturi, utrum relinquentes articulos correctionem fratrum, si in aliquo offendissent, mihi committerent; sed, ut dicitur, cum deliberare putarentur, congregaverunt homines, quos habere poterant, conquerentes, quod, licet vellent articulos dimittere et in aliis se fratrum beneplacitis conformare, tamen non possent invenire gratiam. et hiis dictis ad propria sunt reversi. interim processum est in figura iudicii contra ipsos juxta formam prioris mandati et jam procedetur secundum formam secunde commissionis² videlicet, ut infra sex menses causa ad curiam revocetur. vos igitur, qui usque huc ad defensionem vestrorum humilium virtutis brachium extendistis et nostris oportunitatibus sic affluenter sic indesinenter affuistis, ut totum vestrum sit, quod possumus et quod sumus, super nos solite conculcite viscera pietatis pensantes, quantum religiosis mentibus ingerat oneris litigare et contendere, que divino cultui dedite tenerentur pacificis studiis inherere. est tamen melius cum apostolo nec ad horam cedere subjectioni³ et omne malum pati quam malo consentire, ne intemperantes layci, qui clero juxta decretum oppido infesti sunt, possint, quod sibi personas ecclesiasticas subjecerint, gloriari. memini quem magnum patrem et amicum ordinis dubitasse, ne forte fratres deficerent et affecti tedio fierent signiores. sed noverit vestra preeminentia, ipsos spiritu sancto

^a) *Folgte jetzt radirt wohl magister ordinis.*

¹ *In einem Briefe des Provinzials an den Bischof von Regensburg aus jener Zeit fol. 147 heißt es: venire disposui Ratisponam, sicut aliquando vobiscum tractaveram, sed cum essem Nurenberch, revocabar versus Warmaciam ad tractandum cum civibus Argentinensibus de concordia et causa, que inter nos vertitur atque ipsos.*

² *Gemeint ist das Schreiben des Pabstes an den Bischof von Worms 1289 April 16 im UB. II, 117 nr. 156.*

³ *Ep. ad Galat. II, 5.*

inspirante tanto fixos pondere, quod, si quis in desertum exilii sui ad ipsos exierit, vento agitatae arundines non videbit. unum eis deest, quod tamen vestra magnificentia faciliter supplere poterit et implere, videlicet quod jacent in collegiis absque sollempnitate debita divinum officium musitantes vel ad ecclesias secularium discurrentes. propter quod benignitatem vestram rogo humiliter et attente, quatenus concedatis ipsis edificare in vestra dyocesi domum unam, sicut vestre placuerit voluntati, ubi deo serviant et vestris jussionibus pareant tanquam humiles filii tanto patri. valeat et cetera. datum Wormacie.

B aus Berlin. Bibl. Ms. theol. lat. oct. nr. 109 fol. 174^o.

Ge druckt darnach bei Finke Dominikanerbriefe S. 147 nr. 131.

282. *Der Ordensmeister der Dominikaner beauftragt die Ordensbrüder in Schlettstadt und Hagenau, eine zeitweilige Niederlassung an letzterm oder einem andern Orte der Straßburger Diöcese zu gründen, und bedroht alle Anhänger der Straßburger Bürgerschaft mit Strafersetzung. [1289].*

Fratribus in Slezstat et in Hagenowia^a de receptione domus in Hagenowia.¹ cum secundum prophetam habitare fratres in unum bonum sit pariter et jocundum, vestro, prout nunc se habet, credo statui oportunum, quod recipiatis communiter in Hagenowia vel alibi in Argentinensi dyocesi de dyocesani consilio domum unam. quapropter inter ea, quibus premissa domus indiget adjuvari, permitto, quod biblia glosata, que fratris Jo[hannis] de Alba² fuisse dicitur, additis pignoribus aliis obligetur et cicius usuris cessantibus redimatur, ne memoriale simul et memoria pii intereat largitoris. ceterum quia omnes casus, qui possunt accidere, vix valet humana industria providere, discretioni vestre committo, quatenus ad prioris provincialis vestri consilium pro hiis, que vobis utilia et necessaria judicaveritis, recurratis, qui vobis vivendi formam et proficiendi viam, temporale commodum, spirituale suffragium juxta datam sibi gratiam demonstrabit, proviso quod prefatus locus in proporcionato fratrum numero teneatur et hospitibus sine causa rationabili discurrentibus cum equis et famulis non gravetur. simpliciter autem et expresse volo, quod fratres ibidem moraturi prosequantur causam desolati conventus Argentinensis et unanimiter ac magnifice tueantur, ut exinde laudem apud ordinem et meritum sibi comparent apud deum. nam de proditione vehementer suspectos et qui causam fratrum impediunt vel pro posse non adjuvant laborantes, sed magis civibus Argentinensibus impendunt consilium et favorem expressum, in quocunque conventu vel loco morentur, . .

a) *Folgte jetzt radirt wohl magister ordinis.*

¹ *Unter den Vorständen der Dominikanerconvente, an die der Provinzial 1289 Februar schreibt, erscheinen auch vicarii fratrum Argentinensium in Sletstat et Hagenowe fol. 158, vergl. Finke a. a. O. S. 127.*

² *Vergl. über Johannes de Alba einige Notizen bei Finke a. a. O. S. 141 Anmerkung.*